Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36553
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



oculis tuis. ut sis magnus in oculis dni. Tanto enim eris ante dm
pretiosior. quantum fueris ante oculos tuos despectior. Porta quoq;
semp uerecundiam in uultu de recordatione delicti. porta pudorem in facie
de memoria commissi peccati. Peccati pudore oculos tuos adtollere erubes
ce; Incede abiecto uultu. humiliato ore. deposita facie. percusso corde.
lugubri uestre. sacco in uolutus. operi incilicio corpus. fatiscentes artus
cilicium & cinis inuoluat. Squalore tabescentia membra saccus operiat.
exustum corpus luctuosus tegat habitus. Terra sit tibi cubile. stratus
humus. Puluis es. in puluere sede. cinis es in cinere sede. Semp lugens.
semp merens. semp suspiria cordis emittens. Sit tibi conpunctio in
corde. sint tibi gemitus crebri in pectore. frequenter oculis lacrime
profundantur. ad lacrimas esto semp paratus. Diluge lacrimas. suaues tibi
sint lacrime. Delecta tibi sep luctus & planctus. planctum & lacrimas.
num quā deseras. Tanto sis promptus ad lamenta. quantum fuisti pronus
ad culpam. Qualis tibi fuit ad peccandum intentio. talis sit ad penitentiā
deuotio. Ita reuertere. sicut in profundum recesseras. Sedm morbum in
pertienda est medicina. iuxta uulnus adhibenda sunt remedia. Grauia
peccata. grandia lamenta desiderant. Nulla te res de peccato securum
faciat. nulla tibi te securitatis deceptio blandiatur. nulla te securitas de ceptū
apenitentie intentione suspendat. Incessanter in corde tuo. spes & formido
consistant. pariter sint inte timor atq fiducia. pariter inte spes atq metus.
Sic spera misericordiam. ut iustitiam metuas. sic te spes indulgentie erigat.
ut metus gehenne semp affligat. DE TIMORE.

Timor enim semp emendat. timor expellit peccatum. Timor reprimit
uitium. timor cautum hominem facit atq sollicitum. Ubi uero timor
non est. ibi dissolutio uite est. Vbi timor non est. ibi peccatum est. Vbi timor
non est. ibi sceleratum abundantia est. QUI IN FIRMITATIB; MINUS GRAS AGIT.

In firmitatib; tuis non contristeris. in languoribus tuis gratias age dō;
Valere te animo magis opta quam corpore. ualere magis mente quam
carne; Aduersa corporis. remedia anime sunt. Egritudo carnem uulnerat.
mentem curat. Languor enim uitia excoquit. languor enim uires libidinis frangit
Si prosperitas adriserit non adtollaris. QUI TEMPERANS EST
Si aduersitas acciderit. non deiciaris. Si felicitas eluceat. non sis iactans.